



PALAEASTRA LATINA

SUMMARIUM

COROCOTTA, REX LATRONUM.

ROSARUM VALLIS. (Hultgren)


HORATIUS POETA PHILOSOPHUS. (Nebreda)

O FONS BANDUSIAE... (Nogales)

MOLAE SUBTERRANAE, (Viator)

BIBLIOGRAPHIA, (Jiménez, Martíja)


COMPOSITIONES VERTENDAE.



Ordinarii atque Superiorum permissu

XX COROCOTTA FIT CERTIOR EDICTI CONTRA SE PROPOSITI

XI COROCOTTA OCTAVIUM ADIT



Tum rogatu aviae Corocotta narravit omnia quae sibi accidérant ex quo rapus fuetat a piratis. Postquam finem dicendi fecit ingemuit Tullia: «Eu, me miseram!» Tene repperi ut iterum amic tam? Mox enim ad te Persequendum innumeri milites mittentur et jam mortis tuae promissa est merces. Et continuo edic- ti modo ab Octavio propositi verba ei recitavit. Corocotta aliquandiu tacuit obducta facie in cogitationibus defixus: Deinde quasi implexae quaestione solutionem invenisset, caput attulit et laetu vultu aviam amplexus: «Ne turberis — inquit — carissima; me repperisse credo quomodo hinc me expediam. Post breve tempus in perpetuum congregabimur.» «Utinam sic fiat — respondit Tullia — sed timere non desisto.» — «Confide, avia mea, confide; spes mea nímine decidet.»



Tribus post diebus Aulus et Terentilla et Tullia Romam rever- terunt et ex tot novis eventis se reficiebant. At in Octavii aedibus res multo mirabilior agebatur. Homo qui dam instanter rogarbat ut Octavianum videbet cui quidquam serium se nuntiatum adeve- rabat. Intro ad eum ductus sic est locutus: «Magna pro- misisti praemia si quis Corocottam tibi denuntiaret. Ipse certo scio ubi sit rex latonum, tibique indicabo si fidem dederis te promissis staturum». Data fide, homo persequitur: «Ego sum Corocotta quem tu persequeris, ipse me defero, fidem liberato.» Audacia tanta commotus Octavius paulisper dubitavit num imprudentem severè castigaret. At non potuit hominis virtutem non mirari. Et cum opus esset ad bellum profecturo adversus Antonium strenuis et constantibus viris, qui Italianam in pace tenerent, Corocot- tam sibi conciliare decrevit.



ANNUS SCHOL. VI. NUM. 52 1935-1936 MENSE APRILI MCMXXXVI

PALAEESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae. solutione antelata, est 6 pesetarum in Hispania, 7 in America et Lusitanía, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

ROSARUM VALLIS

*Est prope Lipsiacos muros gratissima silva,
Vallis fecerunt et rosa nomen ei.
Elstera lambit eam, lambit quoque Plissa virentem,
Nascuntur large quercus et alnus ibi.
In viridi prato lacus est aspergine multa
Inque lacu cygni pisciculique natant.
Parvus in arboribus gestisque salitque sciurus
Et philomela melos cantat in arboribus.
Dum resonant vario frutices modulamine circum,
Insidet in prati floribus agmen apum,
Ambulat inque viis reficitque labore peracto
Se populus, strepitu quod caret urbis ovans.
Nil quoque dulcius est, haec quam lustrare virecta
Et sua gramineo membra levare toro.
Ante oculos nostros ludunt puer atque puella,
Quos patulae quercus umbrat opaca coma.
Omnia laeta vigent, nil non versatile cernis:
Utque susurrat apis, rana coaxat aquis.
Sole cadente domum redeunt silvamque relinquunt
Omnes, naturae quos animabat amor.*

FRIDERICUS C. HULTGRENN

Horatius poëta philosophus

Cujus generis sit haec philosophia Horatiana postea dicetur. Jam pro commoditate *Ephemeridem* legentium PALAESTRAM LATINAM, sequentia capita evolvemus sine nitore et palaestra: 1) Horatii juventutem, studia, philosophiam: 2) Quid circa Deum ejusque Providentiam

Horatius docuerit; 3) Conversionem Horatii, quam vocant. Brevitate consulere curabimus simul et perspicuitati, ne id nobis accidat quod Venusinus poëta inquietabat: Brevis esse labore, oscurum fio.¹

I. HORATII JUVENTUS, STUDIA, PHILOSOPHIA

1. Natus est Horatius an. 689 ab Urbe condita, an. 63 ante Christum, consulatu L. Manlii Torquati et L. Aurelii Cottae juxta illos versus nostri poëtae:

Tu vina Torquato move consule pressa meo²

O nata mecum consule Manlio;³

mortuus autem est an. 746 mense novembri, ideoque priusquam Christus nascetur, aetate an. 57.

Prodiit in lucem Venusiae, silvis circumdatae, Appuliae oppidi⁴ e patre liberto ac paupere, in quo nunquam erubescit, immo addit amanter:

Nil me paeniteat sanum patris bujus.⁵

Ipsemet poëta originem, studia, condicionem suam describit versibus egre-

giis: summatim haec omnia colligimus.

Nunc ad me redeo libertino patre natum,

Quem rodunt omnes libertino patre natum,

Nunc quia sim tibi, Maecenas, convictor: at olim

Quod mibi pareret legio Romana tribuno.⁶

Duabus ex causis rodebant Horatium ejus inimici; quoniam fuerat Romanae legionis tribunus in bello civili, et quod tunc erat Maecenae convictor et

amicus; ipse tamen invidos spernebat nec sumebat superbiam quaesitam meritis.⁷ Ideo prosequebatur:

Non ego me claro natum patre, non ego circum

Me Saturejano vettari rura caballo,

Sed, quod eram, narro... Magnum hoc ego duco

Quod placui tibi, qui turpi secessum honestum,

Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro⁸

2. Quibus ille studiis ab ineunte didicit ergo Venusiae, Romae, Athene sese imbueret, egregie exponit; ad-

nis:

Si neque avaritiam, neque sordes aut mala lustra

Objiciet vere quisquam mihi, purus et insonis,

Ut me collaudem, si et vivo caris amicis;

(1) Art. p. 25-26.—(2) Od. V, XIII, 6.—(3) Od. III, XXI, 1; amphora.—(4) Od. I, XXVIII, 25-27.—(5) Sat. I, VI, 89.—(6) S. I, VI, 45-48.—(7) Od. XXX, 14-15.—(8) S. I, VI, 58-64.

*Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
 Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
 Quo pueri magnis e centurionibus orti,
 Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
 Ibant ostonis referentes idibus aera;
 Sed puerum est ausus Romam portare docendum
 Artes, quas doceat quivis eques atque senator
 Semet prognatas...¹*

Non tantum pater ausus est filium corrumperetur, qua de causa optimus Romam portare docendum; verum ipsum pater a filio magnis laudibus merito cumulatur: comitabatur ad praeceptratores, ne moribus

*Ipse mibi custos incorruptissimus omnes
 Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum
 (Qui primus virtutis bonos) servavit ab omni
 Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi;
 Nec timuit sibi ne vitio quis verteret, olim
 Si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor
 Mercedes sequerer; neque ego essem quaestus: at hoc nunc
 Laus illi debetur et a me gratia major.
 Nil me paeniteat sanum patris bujus, eoque
 Non (ut magna dolo factum negat esse suo pars,
 Quod non ingenuos babeat clarosque parentes)
 Sic me defendam. Longe mea discrepet istis
 Et vox et ratio...²*

Nullum dubium quin magnus Horatius fuerit optimus amantissimusque filius, qui propterea et patri laudes debitas tribuit et majorem gratiam reddit.

Dein Athenas profectus, septem ibi annos philosophiae potissimum morali operam navavit audivitque philosophos Platonicos, quemadmodum ipse testatur inquiens:

*Romae nutriri mibi contigit atque doceri
 Iratus Grajis quantum nocuisset Achilles;
 Adjecere bonaे paullo plus artis Athenae;
 Scilicet ut vellem curvo dignoscere rectum,
 Atque inter silvas Academi quaerere verum.³*

In hujusmodi locum ait quidam commentator: studiorum olim initium ducebant pueri ab Homeri Achille; unde proverbium de rudi et illiterato: *Ne iratum quidem Achillem novit.*

Quinam vero ejus doctores Athenis

fuerint non constat, neque de illis uspiam mentionem habet ipse poëta: ceterum hic verba Ciceronis referre possumus, quibus filium saepe admonet, ut philosophiae disciplinam addiscendam connitatur: «Te annum jam audientem

(1) S. I, VI, 68-78.—(2) S. I, VI, 81-93.—(3) Ep. II, II, 41-45.

Cratippum idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis¹; Horatius vero scientiae adipiscendae gratia hujusmodi iter susceperebat.

*Hos inter dux ille Plato celcissimus ibat
Cujus ab ore melos manabat, quale Academi
Arbusulis lepida modulantur voce cicadae.*

Cicadae Athenienses nostris longe melius canere profecto debebant; secus parum honoris Platoni tribuit poëta.

3. Insignes Athenae plus doctrinae Horatio contulerunt, nimirum, ut vellet

*Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis.²*

Ideo legebat Homerum, qui velut optimus scriptor epicus exemplis ostendit loculentis quid fugere, quid sectari debeat:

*Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romae, Praeneoste relegi:
Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit³*

Totis viribus studio disciplinae moralis incumbebat, eamque caelestem

*Nunc itaque et versus et cetera ludrica pono,
Quid verum atque decens curo et rogo et omnis in hoc sum⁴
Quo te caelestis sapientia duceret, ires.⁵
Nunc agilis fio et messor civilibus undis,
Virtutis verae custos rigidusque satelles.⁶*

4. Horatius habetur communiter uti philosophiae epicureae sectator; neque ab hac opinione abhorre videtur

*Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum⁷*

Verum hoc non ex animi sententia, sed joco et sale Horatius dixisse perhibendus est; ipsemet namque fatetur nul-

Adjungit praeterea se inter silvas Academi verum quaesivisse. Erat enim Academia locus Athenis suburbanus, arboribus multis amoenus, illustrium etiam virorum monumentis exornatus, ubi philosophiam primus docuit Plato. Discipuli Platonis dicebantur Academicici de quibus Laertius non sine lepro dixit:

curvo discernere rectum, hoc est, pravum nosse ab honesto distinguere. Verum haec scientiae moralis studia totam per vitam est prosecutus, quemadmodum ipse testatur saepius:

*Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis.²*

loculentis quid fugere, quid sectari debeat:

sapientiam sicuti et virtutem appellabant:

*Nunc itaque et versus et cetera ludrica pono,
Quid verum atque decens curo et rogo et omnis in hoc sum⁴
Quo te caelestis sapientia duceret, ires.⁵
Nunc agilis fio et messor civilibus undis,
Virtutis verae custos rigidusque satelles.⁶*

quod ipse poëta, Tibullum consolans: scribit:

lum doctorem sequi, in nullius magistri verba jurare:

(1) Cic. De Offic. I, 1.—(2) Ep. II, II, 81-83.—(3) Ep. I, II, 1-4.—(4) Ep. I, I, 10-11.—(5) Ep. I, III 27.—(6) Ep. I, I, 16-17.—(7) Ep. I, IV, 15-16.



*Condo et compono quae mox depromere possim:
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare uter,
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cuncte rapit tempestas defor hospes.* ¹

Ita poëta fidei philosophicae professionem emittit; cum vero addit, quo lare utar, idem valet atque qua schola, qua secta philosophica utatur, sicut vocat alibi scholam vel domum Socraticam, ² sicut Cicero Aristotelis sectatores appellat familiam peripateticorum. ³

Quocirca interdum Stoicos, interdum Epicureos inridet egregie: ⁴ ipse vero sibi potuit assumere, quod Tullius scribit:

II. QUID DE_E DEO EJUSQUE PROVIDENTIA SENTIAT HORATIUS

5. Existentiam Dei agnoscebatur Epicurus, verum certo negabat divinam providentiam; ⁵ quam quidem sententiam

Nam bene qui didicere deos securum agere aevum. ⁶

Epicureorum foetorem redolent verba Horatiana quae sequuntur:

Credat Judaeus Apella

Non ego: namque deos didici securum agere aevum,

Nec, si quid miri faciat natura, deos id

Tristes ex alto caeli demittere tecto ⁷

Sine dubio loquitur hic Epicureus philosophus; verum haec scribebat circa an. 727, quando poëta scilicet aetatem agebat duodetriginta annorum; postea hanc turpem sententiam cum verbis tum operibus certo recantavit.

Etenim Venusinus poëta Dei existentiam admittit, immo insinuat divinam naturam esse individuam, ⁸ etiamsi possit mundi imperium cum aliis dividere; ac pluries canit pulcherrime divinam pro-

«Nullis unius disciplinae legibus adstricti, quibus in philosophia necessaria pareamus; quid sit in unaquaque re maxime probabile semper requirimus: ⁵ et rursus: «Certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt eaque necessitate constricti, ut etiam, quae non probare soleant, ea cogantur, constantiae causa, defendere».

amplectens Lucretius, more cicadum canebat:

videntiam, quae passim omnia elargitur bona et singulis personis et civitati omnique reipublicae sive imperio; divina providentia superbos demittit, pauperes sublevat, summum imperium ac dignitatem transfert, Romanum populum et punivit et gloriosum ac triumphans reddit: quare cultu et sacrificiis Deus est honorandus.

Primum omnium admittit Horatius divinam providentiam circa singulos ho-

(1) Ep. I, I, 12-15.—(2) Od. I, XXXIX, 14. — (3) Cic. De divinatione II, 1. — (4) Cf. Sat. II, III; IV; in prima contra Damascum, stoicum, quod omnes homines desipiant; in altera contra Catium, epicureum, cuius philosophia tota in culina est. — (5) Cic. Tuscul. IV, 7.—(6) Tuscul. II, 2. — (7) Bréhier, Histoire de la philosophie, I, p. 354-355. — (8) Lucr. VI, 37. — (9) Sat. I, V, 100-104.—(10) Od. I, XII, 17-18:

Unde nil majus generatur ipso.

Nec vigeret quidquam simile aut secundum.

De sensu horum versuum disputant interpres; mens tamen Horatii forsitan haec sit; unus tantum est Deus summus, princeps, qui res hominum ac deorum, qui mare ac terras variisque mundum temperat horis (vv. 14-16).

*mines, cum agnoscit magno vitae pericu-
lo effugisse, Deo propitio:*

*Di me tuentur, dis pietas mea
Et musa cordi esto.¹*

*Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Fannus i&etum
Dextra levasset.²*

Non sine diis animosus infans

*Non me Philippis versa acies retro,
Devota non extinxit arbos,
Nec Sicula Palinurus unda.³*

Ad Tibullum scribens ajebat:

*Di tibi formam,
Di tibi divitias dederunt artemque fruendit.*

*Deus omnia gubernat, immittit im-
bres, nives, diram grandinem; agit poëta
noster de prodigiis mortem Caesaris se-
cutis:*

*Jam satis terris nivis atque dirae
Grandinis misit Pater: et rubente
Dextera sacras jaculatus arces,
Terruit urbem.⁵*

Ideo preces in Deum laudat mala a-
vertendi gratia, quanvis non ad amussim

*Annuit invito Caelestum numine Rector,
Quo tunc et tellus et horrida contremuerunt
Aequora concussitque micantia sidera mundus.⁶*

Si enim reges divino subduntur im-
perio, eo magis ceteri homines: bene poë-
ta expressit hujusmodi sententiam.

*Scimus, ut impios
Titanas immanenque turbam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum et urbes regnaque tristia.
Divosque mortalesque turbas,
Imperio regis unus aquo.¹⁰*

orationis naturam exponat:

*Quem vocet divum populus ruentis
Imperi rebus? prece quia fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?⁶*

6. Deus in ipsos reges exercet impe-
rium; nemo mortalium quantumvis po-
tens, quamvis suprema potestate gaudeat,
exemptus est a lege divina; Deus namque
vindex est omnium. Dicedat Plautus:
Quasi tu nescias repente ut emoriantur
humani Joves, id est, reges et principes.
Magnifice igitur canit poëta nosler:

*Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilie moventis.⁷*

Suetonius dicebat quoque: Est in ge-
nere et sanctitas regum, qui plurimum
inter homines pollent, et caerimonia Deo-
rum, quorum ipsi in potestate sunt reges.⁸

Notetur sententia Homerica, *cuncta
supercilio moventis*; indicat sublimi modo
Dei omnipotentiam. Catullus etiam ceci-
nit egregie:

*Annuit invito Caelestum numine Rector,
Quo tunc et tellus et horrida contremuerunt
Aequora concussitque micantia sidera mundus.⁹*

Hic poëta philosophus iterum vide-
tur agnoscere unum solum Deum, a quo
pendeat universi gubernatio et imperium.

7. Divina providentia donat propi-
tia terris magnos viros ac tuetur arma
Romana adversus Carthaginenses. Nihil
Caesare grandius aut pretiosius numina
propitia terris donaverunt aut donabunt,
etiamsi revocetur saeculum vetus au-
reum:

(1) Od. I, XVII, 13-14.—(2) Od. II, XVII, 27-29: cf. Od. XIII. —(3) Od. III, IV, 26-28.—(4) Od. I, II, 1-4.—(5)
Ep. I, IV, 6-7.—(6) Od. I, II, 25-28.—(7) Od. III, I, 5-8.—(8) Suet. Iul. Caes. c. 6.—(9) Catull. 64, 204.—(10) Od.
III, IV, 42-48.

*Quo (Caesars Aug.) nil majus meliusve terris
 Fata donavere bonique divi
 Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
 Tempora priscum.
 Nil Claudioe non perficiunt manus
 Quas et benigno numine Juppiter
 Defendit et curae sagaces
 Expediunt per acuta belli²*

Deus populos religiosos adjuvat, auget, amat; et quoniam populus Romanus pius est in deos, quos observat et colit idcirco imperium orbis illi donaverunt.

*Diis te minorem quod geris, imperas.
 Hinc omne principium buc referit*

[exitum³]

Deo accepta refer, Romane, tum imperii primordia, tum propagationis et amplificationis incrementa et felicem quarumcunque rerum exitum.

Contra religio neglecta causa fuit calamitatum, quas tulit Italia.

*Diis multa neglecti dederunt
 Hesperiae mala luctuosae⁴*

Deus igitur vitia tum singulorum hominum tum ipsorum populorum juste punit. Mortale genus ob sua crimina Deum ad iram provocat movetque.

*Audax omnia perpeti
 Gens humana ruit per vetitum et nefas
 Audax Iapeti genus
 Ignem fraude mala gentibus intulit.*

*Semotique prius tarda necessitas
 Leti corripuit gradum*

*Nil mortalibus arduum est.
 Caelum ipsum petimus stultitia neque
 Per nostrum patimur scelus
 Iracunda Jovem ponere fulmina⁵*

8. *Oratio sive privata sive publica fidei professionem in divinam providentiam mirifice testatur. Horatius autem precabatur ad bona temporalia obtainenda et carmen saeculare ad precem publicam composuit.*

*Per meos fines et aprica rura
 Lenis incedas abeasque parvis
 Aequus alumnis;
 Si tener pleno cadit baedus anno,
 Larga nec desunt Veneris sodali
 Vina craterem; vetus ara multo
 Fumat odore⁶*

*Diebus festis cessabat labor et pagani ipsi festa haec agentes lactitiae vacant.
 Ludit herboso pecus omne campo,
 Cum tibi nonae redeunt decembres:
 Festus in pratis vacat otioso
 Cum bove pagus⁷*

*Si praeterea deos rite colueritis et pie supplicaveritis, licet modica offerentes munera, placatos illos habebitis.
 Caelo supinas si tuleris manus,*

*Nec pestilentem sentiet Africum
 Fecunda vitis... Te nibil attinet
 Tentare multa caede bidentium*

*Immunis aram si testigit manus,
 Non sumptuosa blandior hostia
 Mollibit aversos Penates
 Farre pio et saliente mica⁸*

(1) Od. IV, II, 37-40. - (2) Od. IV, IV, 73-76. - (3) Od. I/I. IV, 5-6. - (4) Od. III. VI, 7-8. - (5) Od. I, III, 25-40.

(6) Od. III, XVIII, 2-8. - (7) ib. 9-12. - (8) Od. III, XXIII, 1, 5, 25-26.

Sensus videtur esse: etiamsi non offeras Deo ingentia munera, tam litabis tamque obtinebis quod postulas, exiguo quovis sacrificio, quam magno et sumptuoso; si modo vitae innocentiam et pietatem et religionem erga Deum exhibeas.

Audiamus aliam precem Horatianam, qua nihil aliud poscat ab Apolline vatum patrono praeter mentem sanam in corpore sano; non judicamus de prece, sed exsistentiam testamur.

*Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? Quid orat, de patera novum*

Fundens liquorem?

Non opimas segetes feracis Sardiniae, non grata armenta aestuosa Calabriae, non aurum aut ebur Indicum, non rura; quoniam me pascunt olivae, me cichorea levesque malvae; sed

*Frui paratis et valido mibi,
Latoe, dones et precor integra*

Cum mente nec turpem senectam

Degere nec citbara carentem?

Contentus suis humilibus poderibus Deum non obtundit precibus aliis de rebus; satis beatus unicis Sabinis.³

Multa potentibus

*Desunt multa; bene est cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu⁴.*

Postremo Carmen Saeculare est hymnus, quo fit oratio publica ad bona pro toto Romano populo adprecanda.

*Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi
Semper et culti, date quae precamur*

Tempore sacro

*Supplices audi pueros, Apollo;
Siderum regina bicornis, audi*

Luna, puellas:

*Di, probos mores docili juventae,
Di, senectuti placidae quietem,
Romuleae genti date remque prolemque
Et decus omne⁵*

Ex Horatianis sententiis haec tenus inspectis, planum fecimus, Venusinum poetam et philosophum, quod Dei prouidentiam attinet, e castris Epicureorum aufugisse. Jam in aliud procedat oratio et disputatio nostra.

III. DE HORATII CONVERSIONE, UT VOCANT

9. Horatiani commentatores seu interpres loqui solent de conversione nostri poetae atque ita rem evolvunt.

Horatius sua in juventute plus minusve vitiis indulxit, religionem haud coluit, in castra Epicureorum sese congecit; mox vero ad meliorem frugem revocatus, et vitam degit morigeram, religionem in proxim deduxit, doctrinis Epicuri valedixit, uno verbo, errores recantavit et doctrinam moralem satis puram sectatus est. Quocirca de ejus salute

bene possemus cogitare et Dantis verba usurpare:

*Vidi quattro grand' ombre a noi venire,
Sembianza avevan né trista né lieta.*

*Quegli é Omero poeta sovrano:
L'altro é Orazio satiro, che viene,
Ovidio é el terzo, e l'ultimo Lucano⁶.*

Arguit seipsum poeta, quod Epicureos secutum cultum deorum neglexerit; verum praestat in antecessum odem XXXVI celebrissimam proferre.

(1) Od. I, XXXI, 1-3.—(2) Od. I, XXXI, 17-20.—(3) saecul. 1-6; 34-36; 45-48.—(4) Dante, Infern. IV, 83 sqs.

Od. II, XVIII, 51-54.—(5) Carm.

Od. III, XVI, 43-44.—(6) Carm.

Parcus deorum cultor et infrequens.

Insanientis dum sapientiae

Consultus erro: nunc retrorsum

Vela dare, atque iterare cursus

Cogor relictos.¹

Numinum rarus et remissus venerator fui quidem; parce ac rare sacrificiis ac precibus Deum colui: immo omnes religiones spernens in gravissimum errorrem impegii. Secutus est igitur Horatius insanientem sapientiam, de qua divus Paulus egregie dixit: *Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt²*, quamque Gregorius Naziancenus vocat *insipientem sapientiam*, ἄσοφος σοφία et Augustinus insipienter sapere³: sapientiae ergo insanientis conoultus idem est atque *vana et*

Fulmina gignier e crassis alteque putandum est

Nubibus exstructis; nam caelo nulla sereno,

Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.⁵

Quare inquit Horatius: video non solum coactis et collisis nubibus fulgura et tonitrua fieri, sed puro etiam caelo; quod cum praeter naturam sit, divinum esse oportet; hinc ergo sapientior effectus Jovis potentiam, numen iramque revereri disco. Et poeta noster argumentum prosequitur magnificentissime.

Quo bruta tellus et vaga flumina.

Quo Styx et invisi horrida Taenari

Sedes, Atlantesque finis

Concutitur. Valet ima summis

Mutare, et insignem attenuat Deus,

Obscura promens. Hinc apicem rapax

Fortuna cum stridore acuto

Sustulit: hic posuisse gaudet⁶

Jovis fulmine summa et infima commoventur; ipsi quoque inferi, tonante Jove, obstupescunt; et limites occidentis ad mare Atlanticum concutiuntur; deprimunt excelsa, attollit abjecta; utque

perniciosa sapientia doctus.

Quocirca nunc retrorsum vela dat, hoc est, intelligens se a recto aberrasse cursu, in contrarium convertitur atque iterare cogitur relictos cursus; fateri cogitur hunc a Deo orbem regi resque humanas ab eo curari. Additque rationem ob quam mente mutatus est te rectam viam arripuit.

Namque Diespiter

Igni corusco nubila dividens

Plerumque per purum tonantes

Egit equos volucremque currum⁴

Etenim Diespiter, hoc est, pater diei, auctor lucis, tonavit puro ac sereno caelo; quod philosophia Epicurea non admittebat, teste Lucretio:

alteque putandum est

Nubibus exstructis; nam caelo nulla sereno,

Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.⁵

Seneca ait,

Ima permuat brevis hora summis⁷

Deus ergo non per signa caelestia solum, verum per magnas etiam rerum humanarum mutationes suam commosstrat omnipotentiam; quare opes, amplissimas dignitates, honores, imperium ipsum ab istis aufert, ut aliis statim conferat tradatque; hunc humiliat et hunc exaltat, inquit divinus Psaltes⁸; et Psaltria dividitor, Beata Virgo, canebat; *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles⁹* Magna ergo et Horatius sonavit, cum dixit:

*Et insignem attenuat Deus,
Obscura promens.*

Quoniam mihi tempus non est, neque PALAESTRA LATINA hujuscemodi elucubrationis indiga, finem huic inquisitioni pono. Valete et vivite!

EULOGIUS NEBREDA, C. M. F.

(1) Od. I, XXXIV, 1-5. — (2) Rom. I, 22. — (3) De Civ. Dei, XVII, XIII: *Hoc tam magnum bonum (pacis promissac) quisquis in hoc saeculo et in hac terra sperat, insipienter sapit.* — (4) O. I, XXXIV, 5-8. — (5) Lucret. VI, 245-247. — (6) O. I, XXXIV, 9-16. — (7) Senec. Thyestes, 598. — (8) Ps. 74, 8. — (9) Lc. I, 52.

O FONS BANDUSIAE....

(HORAT. III, OD. XIII)

Ut primum hanc bellam carminis XIII, libri III interpretationem Hispanam *saneto inclusam*, perlegi, illico putavi eam, aliquo commentariolo praemisso, in lumen proferre, ut et interpreti laus inde merita eveniret et ipsi HORATIO in bimillenario natalis testimonium amoris exsisteret. Quo melius ergo carmen intellegamus, aliquibus adjunctis historicis illustremus.

Et in primis quem Bandusiae fontem spectat Horatius?—Multa quidem exco-
gitata atque inquisita sunt ut res omnino dilucida redderetur. Duea tamen dumtaxat opiniones probabiliores exsurgunt. Quarum prima in circumjacentibus Ven-
nusiae locis, sex milliariis ab ea distan-
tibus fontem collocat; nec inconsiderate quidem: in quadam enim Papae Pascha-

lis II bulla, anni 1113, fons Bandusinus ibi manans adducitur, quem aliqui dicunt poëtam in hoc carmine respicere, atque ita id enodant: Brundisio rediens Horatius cum Maecenate anno 37, Venu-
siam visit, fontemque Bandusium acce-
dit, qui eo carior erat, quod in pueritia «ludo fatigatum» toties eum suis blandis aquis recreasset, flagrans itaque deside-
rio hunc praeclarum fontem canendi,
hanc odam compositus sacrificiumque crastinum instituit. Mihi vero secunda potius arridet opinio, quae et primam aliquo modo coërcet. Omnibus comper-
tum est in fundo Sabino Horatio donato ab Augusto, fontem inesse, quem pau-
lum silvae obtegebat, ut ex his versibus constat:

*«Hortus ubi et tecto vicinus jugis aquae fons
Et paullum silvae super his foret»* (Sat. II. 6. 23)

Quaenam arbores hanc silvam constituant, aperte alias declarat.

*«Temperiem laudes. Quid,..... si quercus et ilex
Multæ fruge pecus, multa dominum juvet umbra?»* (Ep. I. 168-10)

Animadvertisse igitur fontem quo de agitur in praesenti oda, illicibus quoque opacatum scatere. Nihil itaque mirum si jucundissimus hic fons quo «nec frigi-

dior Thracam nec purior ambiat He-
brus», memoriam natalis Bandusii fontis repetat atque id nomen fonti Sabino imposuerit:

«Fons etiam rivo dare nomen idoneus» (Ep. I. 1612)

Sed de loco haec tenus; nunc de tem-
pore, quo carmen conscriptum est, aliqua brevi dicamus. Etsi quod ad annum nihil certi habetur, videtur esse compositum pridie ejus diei, quo *festa fontanalia* per-
ragebantur. Omnibus enim notus est cultus erga fontes a Romanis habitus, utpote qui in eis aliquem divinum spiri-
tum «numen aquae» (Iuv. Sat. III, 19)

residere putabant; ad hoc igitur celebran-
dum festa fontanalia constituta sunt die 13.^a Octobris, in quibus, ut ait Varro, «in fontes coronas jacint et puteos cor-
ronant» (De ling. lat. VI, 22).

At Horatius non modo flores conjice-
re verum etiam haedum victimam caede-
re pollicetur; etsi id ritus fontinaliorum
nusquam postulare invenimus, tamen

hujusmodi sacrificia alias quoque apud autores romanos legimus. Martialis, verbi gratia, ut se votis exsolvat, «furtivam quod bibt aeger aquam, porcam virginis seu nymphae fontis immolat» (VI, 47, 6) Ipse quoque Ovidius regem Numam simile sacrificium fonti litasse autumat: «Huc venit et fonti rex Numa mactat ovem». (Fast. III, 300) Age porro merum. quod a se oblatum iri cum floribus pollicetur, omnibus sacrificiis aderat, ut libationi inserviret.

His igitur enodatis, ipsum carmen adeamus. Duabus praecipuis partibus constat; quarum prima festum celebrandum declarat, secunda autem laudes fontis extollit; et in una quaque sic mihi videntur sententiae conglutinari. In primis vivida fontis pictura, quae ob oculos nostros per totum carmen obversetur; sed adeo amore fontis abundat, ut consuetis muneribus quae a ritu fontinaliorum proficiscuntur, haedum adjungere constituat; quem quidem haedum, ne pro vulgari munere habeatur, omnibus ju-

*O fons Bandusiae splendidior vitro
dulci digne mero non sine floribus
cras donaberis haedo,*

*cui frons turgida cornibus
primis et venerem et proelia des-
[tinat*

*frustra, nam gelidos inficiet tibi
rubro sanguine rivos
lascivi suboles gregis*

*Te flagrantis atrox hora Caniculae
nescit tangere, tu frigus amabile
fessis vomere tauris
praebebas et pecori vago.*

*Fies nobilium tu quoque fontium
me dicente cavis impositam ilice
saxis unde loquaces
lymphae desiliunt tuae.*

cundis acceptisque notis, quae illum singulariter reddant exornat. Munere depicto ad carum fontem tanto dono dignum, vergit; cuius inter laudes has quidem recensere par est: eum ardore aestivo minime tempore meridiano tangi; praebere frigus amabile tauris vomere fessis pecoriique vago; ea denique pulcritudine atque amoenitate praeditum esse, qui posteritati mandari mereatur; quod nimurum assequetur, cum ipse Horatius celebret

*«cavis impositam ilicem
saxis, unde loquaces
lymphae desiliunt...»*

Evidem omnia me exposuisse arbitror, quae ad rectam carminis intelligentiam conducere possunt. Nunc igitur nihil restat, nisi ut ipsam odam directe degustemus; et ad id potius quam alienum judicium, quod nosmetipsi de ejus meritis fecerimus, considerare praestabit. Itaque unusquisque et de oda et de interpretatione, quam infra perhibemus, prout cuique libeat sententiam ferat.

Fuente Bandusia más que el cristal clara,
a quien ofrendan dulce vino y flores;
mañana agradecido a tus favores
un cabritillo inmolaré ante tu ara.

El cuerno en su testuz ya le apuntara,
mas suena en vano en lides y en amores,
que retoño de greyes bullidores
teñirá con su sangre tu onda cara.

De la arada al volver, si el sol calcina,
refrigera a los bueyes tu frescura
y al hato amante de tu césped tierno.

Celebraré el peñón y vieja encima
do brota tu raudal, que allí murmura,
y con mi verso haré tu nombre eterno.»

SALVATOR G. NOGALES, S. I

Chavetonise - 26 - IX - 1935.

Molae Subterranae

SCAENA QUINTA

PROBUS, CAECILIUS, NUMIDA

PROBUS. — (*non observatus intrat et in scaena extrema consistens vocali*): Numida! (*Probus Numidam abire signo jubet. Numina inclinat caput et abit. Caecilius capite inclinato ad dextram partem constituit. Probus ad laevam partem assidit in sella curuli et non respiens aicit*): Mi fili! (*Caecilius non moveretur. Probus ad eum conversus dicit*): Veni ad me! (*Caecilius accedit capite submisso*). Dic mihi, Caecili, adamasne patrem senem? Secundum Deum tu solus in terra mihi es praesidio ac solacio; utinam gloriari mihi liceat, quod filius meus sit prudens et obsequiosus.

CAECILIUS. — (*alacer*) Talis esse studeo, pater.

PROBUS. — Te in atrium intrans cum Numida conloquentem inveni. Attamente cum servis sermocinari saepe vetui. Neque enim quidquam ab eis disces. Quos caritate amplexaris, talem eorum familiaritatem aspernor. Quid tibi dixit Numida?

CAECILIUS. — Benigniori unquam domino quam tibi se famulatum esse negavit.

PROBUS. — Nihil aliud?

CAECILIUS. — Narravit, quam splendida spectacula acturi sint cras in amphitheatro.

PROBUS. — Et tum?

CAECILIUS. — Patrem a prioris domini filio esse deceptum, quod filius a servo tute ductus esset non in scholam, sed theatrum.

PROBUS. — Satis est; Numida caveat!

CAECILIUS. — Sed Numida me monuit, ne ego agerem ita sicuti nequam iste.

PROBUS. — Num mihi parabis curas? Usu rerum cares, ut intellegas, quanta fallacia insit in animis quarundam servorum. Abhinc quinque annum Narses cubiculariorum meorum mihi videbatur fidelissimus, tamen e' conspectu

aliquando evolavit. Aufugit ingratus iste. Quis ne Numidam quidem proditorem esse posse mihi confirmabit? Accedit, quod est paganus et homo Afer.

CAECILIUS. — (*manibus complicatis*) Ne tratus sis, pater! Nunquam te afficiam tam acerbo maerore!

PROBUS. — Confido tibi, mi fili, et te in officio mansurum tam firmiter spero, ut magnificum donum tibi reservaverim epistulam a Paulo Apostolo ad Romanos missam involucro aurato reconditam; libro autem impressum fulget meum nomen una cum tuo.

CAECILIUS. — Illene liber esse videtur, quem in mensula mea positum modo vidi?

PROBUS. — De quo libro loqueris? Abi, affer illico eum, ut videam!.. Quis ausus est in cubiculum penetrare?

CAECILIUS. — (*affert illico librum*) Hic est, pater!

PROBUS. — (*considerat examinatque librum*) Indignum! Unde habes? Quis tibi dedit?

CAECILIUS. — Arbitratus sum te...

SCAENA SEXTA

ITALICUS, PROBUS, CAECILIUS

ITALICUS — Tribunus quidam juvenis tecum, domine, vult conloqui

PROBUS. — Indicavitque nomen?

ITALICUS. — Nomen manifestare noluit; sed incredibile delectatione rapi videatur imaginibus aspectis, quae sunt in atrio.

PROBUS. — (*meditatus*) Utinam tandem sit! Induc (*ad Italicum*) eum! (*Italicus abit*)

CAECILIUS. — Quis, pater, erit ille tribunus?

PROBUS. — (*surgit*) Fortasse filius amitiae tuae, sororis meae miserrimae. Abhinc quinque annos nomen dedit militiae...

SCAENA SEPTIMA

VALENS, PROBUS CAECILIUS tum NUMIDA

VALENS.—(intrat manibus extensis) Optime avuncule!

PROBUS.—Tumet ipse, mi Valens! (*amplexantur inter se*) Quantis deliciis abundo, quod diuturno tempore elapsso in tuum complexum possum venire!

VALENS.—Hoc ipsum temporis momentum pluris sestimo quam omne aurum.. In excubiis castrorum et pugnarum tumultis semper tui eram memor, et cum orabam pro matre, preces meae effundebantur etiam pro te.

PROBUS.—(animo vehementer commoto) Deus animo tuo pio hoc solacium denegare non potuit neque meae senectuti hoc firmamen.

CAECILIUS.—Mene appellas nihil?

VALENS.—Caeciliusne es? Non jam te noram. Me proficidente eras puerulus... Nunc quam grandis es corpori... En dextram! (*Dexteram ei porrigit*).

CAECILIUS.—Quando advenisti Romam?

VALENS.—Heri agmine novissimo stipatus; sed missus sum ad praesidia; hodie mane cum cohorte mea Urbem intravi, ut excubiis praeesse palati Imperatoris, et quam primum potueram properavi huc vos salutatum.

CAECILIUS.—(dixaram ejus comprehendens) Vae! Quid dextram laesisti?

VALENS.—Exiguum vulnus Maximi hastis incisum.

PROBUS.—Quibus pugnis interfueristi?

VALENS.—Omnibus tribus et tertia commissa ab Imperatore nominatus sum tribunus.

CAECILIUS.—Narr, quaeso, de his rebus gloriose gestis!

PROBUS.—Age, narra quanta virtute milites nostri pugnaverint qua in animo meo revocetur memoria dierum, quibus gladio et scuto exornatus gloriam patriae nostrae defendebam. Sed defesum te esse censeo. Conside a latere avunculi! (*Caecilius affert sedile; Valens consideret*). Numidal (*Numida intrat*)

Si quis me petiverit, cum exspectare jubebis et simulatque hic juvenis abi- rit, redibis. Pauca tibi dicam sub rosa.

NUMIDA.—(secum loquitur) Quid mihi erit dicturus? (*tard se recipit, semper intuens Valentem*).

VALENS.—(inter verba Probi obstupefactus faciem Numidae intuetur et ad Cae- cilium voce satis tenui dicit) Quid est huic nomen?

CAECILIUS.—(voce tenui) Numidal

NUMIDA.—(secum loquitur) Quid oculis rigentibus me aspicit iste? (*abit*)

VALENS.—(paululum meditatus secum lo- quitur) Tamen errem forsitan.

PROBUS.—In tua, Valens, sum potestate.

VALENS—Age, attendel Valentinianus, cum Maximum usurpatorem Alpes transisse nuntiatum esset, Mediolano relicta aufugit Thesalonicanam. Cum militibus praetorianis imperatorem stipabant, Theodosius principem amo- re paterno exceptit et profectus est magnis copiis regnum ei recuperatu- rus. Gloriae cupidus sub ejus signis militabam. Hostibus in Pannonia bis devictis, profecti sumus magnis itine- ribus Aquilejam. Militibus autem tunc ipsum in foro principali persolveban- tur, stipendia et Maximus sedebat in solio. Accessus noster erat tam repen- tinus, ut omnes nos in Pannonia bel- lare censerent. Mea cohors ex silva juxta urbem sita magno impetu irruit et excubias ad portem dispositas occidit et in foro principali aggressa est hostes, quorum copiae primo impetu diffugerunt. Vociferabar: «contra so- lium, contra solium». Maximus se de- fendere conatus cecidit ictibus hujus (*ostendit gladium urique*) gladii occi- sus.

CAECILIUS.—Macte virtute! (*manibus plau- dit*).

VALENS.—Corripui eum et traxi coram Theodosio et Imperator me nominavit tribunum.

PROBUS.—Glorior, quod sum avunculus tuus, mi Valens. Sanguis familiae Pro- bi semper est generosissimus et no-

men nostrum in memoria posterorum florebit. At pristinae gloriae gloriam addamus oportebit nobiliorum, qua opera conferamus ad triumphum religionis Christianae de cultu idolorum tandem peregendum.

VALENS. — Num hoc fieri poterit?

PROBUS. — Certissime! Palaestinus, Augustinus Afer, Epiphanius Cyrius, Martinus Turonensis, Gregorius Nazianzenus per nuntios et epistulas me incitant, ut ultimas reliquias idolatriae Romanae destruamus.

VALENS. — Quibusnam rebus?

PROBUS. — Cras erit actio acerrima ac turbulentissima in senatu. Senatores postulant ac flagitant, ut restituatur Victoriae ara in senatu a Constantino destructa. Sacerdotes idololatrae pro viribus animos patrum inflammant; agetur utrum permaneant in munere an dispereant. Saepissime accipit Theodosius petitiones et litteras eorum, qui minitantur tumultum ac seditionem.

VALENS. — Et cum Imperator precibus cesserit? Consiliis clandestinis aulicorum et perversis magistratum machinationibus principes haud raro inclinantur, ut pronuntient sententias lamentandas et judicia injusta.

PROBUS. — Imperatorem precibus nefariorum cessurum censeo minime. Evidem adero neque deerit consilium Ambrosii illius Mediolanensis. Sacerdicius pontifex Romanus locutus est; omnes Christifideles cras supplicabunt Deo vero ac vivo. Nonne Theodosius in Oriente omnia delubra deorum destruxit? De ara iterum erigenda referetur ad senatum et ego contra referam, ut cultus deorum toto imperio prohibeat. Quantum honorem nostro nomine tribendum! Petrus fundamenta imaginum deorum concussit et Probus eas in viam prosernet. Christus vincet et gladius quidam ejus erit Probus.

VALENS. — Cohortes autem, cum sedatio exorta erit, sub armis erunt expeditae (*surgit*). Sed advesperacit in pala-

lium mihi erit redeundum. Tribuatur tibi, avuncule, gloria ac victoria! Nonne prosequeris me, Caecili, usque ad januam?

CAECILIUS. — Ecce adsum.

PROBUS. — Deus te defendat ac tueatur!

VALENS. — Mox redibo. Vale! (*dextram dat Probo et abit cum Caecilio*).

SCENA OCTAVA

PROBUS, postea NUMIDA

PROBUS. — (*surgit et oculis prosequitur Valentem*) Etiam in armorum strepitu animum servavit illaesum et incorruptum! (*media in scaena*) Si adhuc viveres, soror mea, quanto solacio tibi eset dies hodiernus... Triumphus religionis christiana! Conforta, mi Deus, mihi vires!... Concede nobis victoriam! (*tremefactus*) Et nunc una cum patribus obviam ibo Imperatori.

NUMIDA. — (*intrat cunctabundus*) Te, postquam tribunus discessisset, mecum locuturum dixisti.

PROBUS. — (*indignatus cum animi gravitate*) Interdixeram tibi, quominus cum filio conloquereris; ei narrare ausus est turpia, quae mihi dispiceant, et annum ejus imbuere praeceptis, quae dedeant Christicolam et Filium Probi senatoris.

NUMIDA. — Sed filio tuo, cum ex me quaevisisset prior, a me fuit respondendum.

PROBUS. — Vanas excusationes! Iussa nosti et hoc tibi sufficiet... Et hic liber?

NUMIDA. — Minime sum litteratus... (*secum loquitur*) Puerum nefandum!

PROBUS. — Quisnam in illa conclavia venire potuit?

NUMIDA. — (*umeros elevat*) Non sum cubicularius.

PROBUS. — Transeat! At si posthac semel conlocutus eris cum filio meo, in pistriña te includi jubebo. servi instar contumacis. Intellexistine me? (*cla-*

mat) Italice! (Italicus venit afferens togam, quam sibi induit Probus)

NUMIDA. — (genibus flexis supplex orat) Ignosce, domine!

PROBUS — In pistrinal! Comprehendisti ne? Mementol (dextrorsum abit; Italicus eum subsequitur)

SCAENA NONA

NUMIDA. — (solus: genibus flexis, dum exiit Probus; tum exsilit) Ego in pistrina, quibus inclusus moriar fame, debilitate, flagellis enecatus! Per barbam Jovis Capitolini! Facere potero, ut minarum te poeniteat, senex fatuel Neque tamen me includet Ne digito quidem unquam hominem attigit ullum. Minatur, latrat, neque tamen dubito, quin paucis lacrimulis animum ejus mollire possim atque mitigare. Dicam ei: Dominel... (se lacrimas profundere simulat) ha, ha, hal... Prostratus... hi, hi, hil... complector genua tua sacra... hu, hu, hui!... et animo lenito me elevabit... he, he, hel (taetere ridens) Homo Afer simulare potest flere, si opus erit, vibrare pugionem. Proinde fortis animosis, Numidal (audiuntur soni tubarum et «Macte Imperator!») Incipit pompa triumphalis. (properat ad fenestram) En, penetrat quidem vi per multitudinem; appropinquat ad porticum. Minime dubito, quin sit Saturnius. (se recipit a fenestra; morula).

SCAENA DECIMA

SATURNIUS et NUMIDA

SATURNIUS. — Solusne es hic?

NUMIDA. — Solus cum daemone meo.

SATURNIUS. — Accipe (dat ei marsupium) Sunt quinquaginta sestertia, quae nondum meruisti. Mandavi tibi, ut Caecilius adolesceret Romanus, non Judaeus. Blandire et falle, ut severitatem, qua pater ejus eum optime dirigit, abominetur ac detestetur. Ex triennio multa promittis, accipis pecuniam neque quidquam fit aliud.

NUMIDA. — Quoquo modo temptavi, sed semper frustra.

SATURNIUS. — Attamen desideras, ut haec pecunia sit tua. «Audentes fortuna juvat», sed te hominem esse ignavum animadvertis sero.

NUMIDA. — Num ergo venisti, ut me objurges atque increpites?

SATURNIUS. — Nequaquam, sed ut indicarem rationem agendi faciliorem et fructuosiores. Nos aram Victoriae in foro restituturos esse non ignoras; at Probus dominus tuus consilio nostro adversatur et Theodosius, qui se ei totum commisit consiliis ejus obsequitur.

NUMIDA. — Non comprehendo, quo modo huic rei me possim inmiscere (sonus tubarum; uteque adit ad fenestram) Comites Imperatoris (plausus; cantus militum sollemnis):

«Fulmineis gladiis Romanorum
[perlerunt Hostes Imperii, te duce, Caesar, io!
Lauricomae legiones prosequimur
[phaleratae Romuleum Caesarem vociferamur: oī!
Vivas, Caesar ovans prostratis
[hostibus, evax,
Imperium teneas fortiter unus, io!»

SATURNIUS — (prospicit per fenestram et exclamat) Quantam hominum frequentiam! Quanta studia! Currus Theodosii triumphalis!... Cohortes!... Nos soli excludimur ab hac magnificentia, cuius decus praeclarissimum antea fumus nos!. . Dii perdunt Imperatorem implum! (Saturnius prehendit brachium Numidae, quem trahit ad scaenae frontem; loquitur arcana verba): tunc Numida, totum irae meae furorem comprehendis et adjuvas?

NUMIDA. — Expone, quid sentias!

SATURNIUS. — Num tibi confidere potero certissime?

NUMIDA. — Dumniodo pependeris pecuniam?

SATURNIUS. — Res secreta est; num me prodes?

(sequar)

Bibliographia

B. Ríos, O. S. B. — *Beda noster est.* — Typis Abbatiae Sti. Augustini de Ramsgate. Pp. 34.

P. Romanus Ríos Palaestrae nostra laudator ac scriptor carissimus, commemoratione duodeciens centenaria obitus Sti. Bedae recurrente potiores ejusdem vitae collegit eventus atque ingeniose ad dramaticam exhibitionem aptavit in commodum juniorum monachorum, ut et ipsi exempla majorum prosequendo «per hanc lucis viam» iter ad Deum firmo pede perficere satagant. Scaenae illustrantur versibus sacris himnographiae tonicae quarum magister P. Romanus videtur.

W. Kroll. — *La sintaxis científica en la enseñanza del latín* — Trad. di 3.^a ed. alemana por A Pariente. Centro de Estudios Históricos. Madrid 1935.

Alterum nunc volumen offerimus collectionis dictae *Manuales «Emerita» de lingüística y filología clásica*. In eo videsis sintaxeos Latinae notulas a grammaticis aut ignoratas aut praetermissas; nam grammatici Ciceronis tantum et Caesaris alteriusve clarioris scriptoris placita tradere solent; et tamen apud alios, praesertim apud vetustiores nonnulla sunt quae Latinae linguae syntaxim ac naturam declarant. Haec omnia collegit auctor, qui doctrinam non tantum proposuit sed pluribus confirmavit exemplis.

Opus professoribus valde commendamus: non omnia tamen discipulis propponenda.

Senofonte, Anabasi. Libro V. — Per cura di E. Turchi. Dante Alighieri S. A. E. Milano. Via T. Salvini, 1; 1935.

Dono accepimus hunc *Anabasis* librum scholis superioribus editum. Continet textum Graecum ab Arnoldo Hug recensitum, ordinationem grammatica-

lem, Italicam translationem ad litteram et ad sensum cum notulis minoris momenti.

In textu Graeco ordinationis grammaticalis errata notantur aliqua. Ceterum fini proposito respondet.

J. M. ^a JIMÉNEZ, C. M. F.

Benedetti. — (Ivo. in S Theol. Doctor). *Ordo Iudicialis Processus Canonici instruendi.* — Pro Curtis et Tribunalibus diocesanis. In-8 max., 1934, pag. 166. — Casa Editrice Marietti, Via Legnano, 23 — Torino (118).

Cl. Auctor libri «*Ordo judicialis*» lectoribus suum opus offerens, dicit se, uti advocatione apud S. Rom. Rotam, cognovisse pro plurimis Curtis Ecclesiasticis necessitatem, pro omnibus utilitatem. Evidem jure meritoque liber deerat qui de processuum canonicorum ordine ex usu tractaret, et ei auctor optime providit.

Omnes ministri tribunalium dioecesanorum hunc perutilem librum acquirere deberent.

Prof. Dr. O. Hellinghaus. *Lateinische Hymnen des Altertums u. Mittelalters.* — Aschendorff. Münster.

Opusculum simile illi quod mense Ianuario recensuimus *Confessionum Santi Agustini*. In eruditis prolegomenis editor disserit de arte hymnorum ecclesiasticorum et de peculiari eorum forma rythmica. Editio constat 50 hymnis, ex quibus alii ad aetatem antiquam, alii ad tempus Merovingiorum et Carolingiorum pertinent; alii Medii Aevi sunt proprii usque ad saeculum decimum quintum. Breves annotationes in fine. Sto. Ambrosio tribuuntur hymni *Splendor paternae gloriae, et Aeterna Christi munera*, quos vere genuinos esse non constat.


H. MARTÍN, C. M. F.



Compositiones vertendae

Duo senes trituram (1) facientes

Senex solerter agrum Florentinum colens
 Quam maxime (2) laudator acti (3) temporis,
 In area mergetibus (4) positis, tribula (5),
 Flagello vel equis (6) trituram solummodo
 Volebat facere: at inventis recentibus
 Iridens dure, uti nolebat machina (7)
 Vapore impulsa, quae brevi spicas terit
 Hac Faesulanus, illi jam notus, senex
 Uti consuevit. Subito aestivis mensibus,
 Oborto bello, comparatur celeriter
 Annona (8) plurima copiis (9) ingentibus.
 Tunc Faesulanus vim (10) frumenti maximam
 Divendit magno, laetusque crumenam replet.
 At Florentinus maerens sero intellegit
 Novis inventis utendum saepe in bonum.



Notae: (1) Trilla. --(2) En sumo grado.
 -(3) Pasado. --(4) Gavilla. --(5) El trillo. --
 (6) Ablat, de instrumento. --(7) Trilladora. --
 (8) Viveres, provisiones. --(9) Para las tropas.
 --(10) Cantidad.

Oportet aliquando cedere

atravesar un río	trajicere flumen
cabalgar, montar	equitare, in equo sedere
pararse	consistere
arrastrar, hacer venir	attrahere
saltar	prosilire
hacer resistencia	repugnare
soltar, dejar	dimittere
brida, riendas	habenae-pl;
caerse de	decidere ex

Comestibles, Conservas, Coloniales, Pesca Salada

Hija de F. PIJUAN

Drogas, Pinturas, Barnices y Esmaltes

Carmen, 23.—Teléfono, 77.—TARREGA (Lérida)

L I N G U A P H O N E

L A T I N U M O P E L I N G U A P H O N E

Introductionem constituit probatam, ad Latinitatis studium facile reddendum atque jucundum, phonogrammatum apparatus atque eorum collistratus textus

L I N G U A P H O N E

G R A E C U M O P E L I N G U A P H O N E

Si vivam reddere velitis classicam Graecorum Linguam, auscultate Graeca phonogrammata cum respondentibus textibus Demosthenis, Sophoclis, Homeri, Pindari editis a

L I N G U A P H O N E

X X I I L I N G U A E O P E L I N G U A P H O N E

Si discere vel perficere vos velitis in qualibet ex 23 praecipuis linguis nostrae aetatis cultus, respondentem adquirite earum apparatus

L I N G U A P H O N E

Petite hoc ipso die catalogum ab

L I N G U A P H O N E . - V I A V A L E N C I A , 2 4 5 . - B A R C E L O N A

Nomen tuum

Via *Num.* *Oppidum* *Nota*

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.

Moderator

Typegraphia P. Camps Calmet. - Tarregas